

Orate spiritu, orate & mente, & cum Propheta dicere, illumina o Domine Iesu oculos nostros lumine fidei, ne vnumquam in morte peccati obdormiamus, dicatque irridendo, & cruciando inimicus nolter Diabolus, præualui ad peccatum pertrahendo aduersus eos. Verè enim nisi homo carnalis illustretur lumine fidei, non poterit se continere à peccato, nec iustificari, quia iustus ex fide uiuit. Nam sicut in radice arboris nulla prorùs apparet pulchritudinis species, & tamen quicquid est in arbore pulchritudinis & decoris, ex illa procedit, sic ex fidei humilitate, quicquid meriti, quicquid beatitudinis anima susceptura est, ex cæterarum virtutum exercitatione, procedit. Ideoque in hoc opusculo Ligni vitæ non immerito radicis huius ligni fortitur nomen, tanquam necessarium ipsarum fundamentum virtutum, de qua necessitate dicitur, Sine fide impossibile est placere Deo. Ipsa nanque est, quæ inuisibilem tribuit notitiam, & visibilibus efficit hominem cõtemporem. Sic enim diffinit illam Apostolus. Fides est sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium. Est etiam fides voluntaria quadam, & certa prælibatio necdum propalata veritatis. Est quoque fides perceptio veritatis rerum cum assertione sine caularum cognitione. Ex quibus patet, quod ex lumine fidei datur inuisibilem intellectus. Quæ quum agnoscuntur, facile & libere omnia quæ possidentur, contemnantur, & cuncta quæ in mundo sunt, ordinate diliguntur. Vnde quicumque Deo placere cupit, quisquis ad virtutum cæterarum perfectionem affectat ascendere, quisquis de peccatorum tenebris liberari desiderat, non aurum, non honores, non pulchritudinem à Domino petat, sed fidem, de qua in sequentibus latius Domino donante dicitur.

*De duplici cognitione, & distinctione informis fidei, & formate. Atque de commendatione ipsius fidei formate.* CAP. I I.



Voniam in capitulo precedenti veraciter dictum est, quod Propheta postulauerat à Domino fidem, ipsam vocando lumen, per quod posset veritatis & inuisibilem notitiam habere, ne omnis cognitio fides appelletur, prius distinguendæ sunt cognitiones, per quas haberi potest notitia Dei & inuisibilem, & postea de ipsa fide tractandum est. Igitur notandum est, quod duplex est de Deo cognitio, scilicet naturalis, & accidentalis. Naturalis duplex est, scilicet ante peccatũ, qua homo cognoscebat Deum aperte. Cognouit enim à quo creatus fuerat, non eo modo cognoscendi, quo ex auditu solo percipitur, quomodo à creditibus absens queritur, sed quadam interiori aspiratione, qua Dei præsentiam contemplatur, non tamen ita excellenter, sicut post hanc vitam sancti visuri sunt, neque in enigmate, qualiter in hæc vita videmus. Alia post peccatum, & hæc est per speculum in enigmate. Cuncta enim hæc quæ videntur, sunt quoddam speculum, per quod cognoscitur Deus. Accidentalibus verò cognitio triplex est. Prima acquisita est per rationes naturales, quam habuerunt Philosophi, qui ex perpetuitate creaturarum intellexerunt creatorem æternum, ex magnitudine, omnipotentem, ex ordine & dispositione, sapientem, & ex gubernatione, bonum. Secunda est, quæ habetur ex testimoniis scripturarũ, quibus colla subdenda sunt,

vt ad intellectum quisque per fidem veniat, & ex miraculis. Nam miracula in ignum sunt non fidelibus sed infidelibus, quia signum fidelibus non est necessarium qui iam crediderunt, sed infidelibus vt conuertatur. Et hæc cognitio fidei informis dicitur. Tertia est, quæ habetur per infusionem gratiæ gratũ facientis, & hæc dicitur fides formata, & per talem cognitionem assentit anima primæ veritati. Vnde ea adueniente pereunt omnes aliæ cognitiones accidentales, saltẽm quo ad actum. Fides igitur hæc formata per dilectionem & caritatem virtus est, qua non vitæ creduntur. Magna vti que virtus est fides hæc. Primo quia est actus voluntatis. Vnde ille qui intente amat Deum, voluntarius est ad credenda omnia qua de eo recte prolata sunt, & ei beneplacita. Similiter quia est modus difficultatis, quia consentit Deo in iis que contra rationẽ videntur esse. Transcendit enim vñum naturæ, & rationis humanæ, & experiẽtiæ terminos. Si enim diuina operatio tota comprehendere tur, non eilet admirabilis, nec fides haberet meritũ, vbi humana ratio præbet experimentum. Præterea quia est excessus dignitatis. Nam fides est radius viuus procedens à fonte vitæ, & à sole intelligentiæ. Vnde non solum lucet & calefacit, sed etiam est vita mouens ad faciendum bonum, & declinadum malum. Nisi enim fides teneatur, nullatenus ad spirituales amorem attingitur. Sed neq; mentis humanæ acies inualida in contemplatione æternæ lucis igitur, si non per iustitiã fidei emendetur. Postremo quia est opus Itrenuitatis. Perfectorum etenim fides facit carnẽ vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationẽ vitæ præsentis extingueret, huius mundi aspera pro æternis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, & aduersitatis metum in corde superare.

*Quæ in differentiã inter credere Deo, credere Deum, & credere in Deum.* CAP. I I I.

Icut in Metallis argẽtum plumbo est preciosius, & aurum argento, sic & in actũ dei atq; diuertitate magna est differentia. Sciendum igitur, quod aliud est credere Deo, aliud credere Deum, aliud credere in Deum. Credere Deo, est credere vera esse quæ loquitur, quod & mali faciunt, vnde credimus Paulo, sed non in Paulum, credimus homini, sed non in hominem. Credere autem Deum, nihil aliud est, quàm eum cum assertione cogitare. Per hanc credimus Deum esse, quod & homines mali faciunt, nam & dæmones credunt, & cõtempiscunt. Et hæc fides est necessaria, quia sine ipsa non possumus adamare Deum, nec in ipso sperare. Nam etsi non visa adamare possumus, incognita tamen non possumus. Hæc nempe fides, qua credunt dæmones & homines mali Deum esse, qualitas est mentis, sed informis, quia sine caritate est, quam homines malos posse habere Apostolus declarat dicens, Si habuerit omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habuerit, nihil mihi prodest. Credere verò in Deum, est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adherere, & eius membris incorporari. Per hanc fidem iustificatur impius, vt demum incipiat ipsa fides per dilectionem operari. Ea enim sola opera benedicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Ipsa nanque dilectio opus fidei dicitur. Ad hanc fidem mouere nos debent diuina opera, quæ nobis ostendunt diuinam excellen-

1. Cor. 13.